Zur Anhörung

der

vom 30. September bis 5. October

in dem

hiesigen evangelischen Gymnasium

abzuhaltenden

öffentlichen Prüfungen

und der

Redeübung

ladet hierdurch ehrerbietigst und ergebenst ein

der Director

C. D. Klopsch,

Doctor der Philosophie, Ritter des rothen Adlerordens vierter Classe.

Glogau, gedruckt in der Flemmingschen Buchdruckerei,

Michaelis 1839.

Inhalt:

De vita M. Valentini Preibisii,

quarti Evangelicorum Glogoviensium Pastoris.

Ad examina publica hoc anno invitandi ut satisfacerem officio, quae otium meum, si quando datur, omnium maxime delectant, studia repetere animum subiit, atque ex numero virorum de patria mea meritissimorum Preibisium deligere potissimum, quo Glogovia haud scio an neminem inter suos sacrorum antistites habuerit iustierem et propositi tenaciorem, quippe quem

Non ardor civium prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni

mente quasserit per Dei fiduciam spemque in Christo positam solidissima. Mobilium enim virorum affatim habet seculum; qui sibimetipsis constent in omni vitae perpetuitate, atque in virtute perseverent, eorum exempla si iuventutem et intueri et imitari velis, ab antiquitate arcessendi sunt. Prima igitur operis, quod susceperam, stamina Ehrhardtus suppeditavit, qui libris ad exsequias Preibisii celebrandas editis aliisque nonnullis in eius vita conscribenda tanta fide usus est, ut me plerisque omnibus potiri non potuisse, minime doleam. Materiam in eo repertam ex tabulariis et huius civitatis et Evangelicorum ecclesiae, ex annalibus Praetorii et Crausii senatorum, a Johanne Samuele Tschirschnitzio Syndico auctis, ex Schilleri historia belli tricenarii, atque ex aliis quibusdam libris amplificavi, qui in annotationibus nominantur.

Valentinus Preibisius, Boleslaviae Silesiorum natus sexto decimo ante Calendas 1)
Martias anni MDLXXXVIII. Pater eius Davides e munere scholastico in senatum 2)
urbis evocatus erat; mater Anna Abelis Hentschelii, I. U. C. fuit filia. Puerum ad literarum studia inclinantem parentes Vratislaviam in gymnasium Magdalenaeum deduxerunt, in quo, siquidem inde ab anno MDC, quod suspicamur, ex infimo ordine ad sum-

---

1) Ex germanico Preibisch. Gens et nomen hodieque Boleslaviae exstat.

2) Avum et patrem Andreae Sanftlebii Peplus bonorum ingeniorum Boleslaviensium (Lignicii 1674) his verbis nominat:

53. Valentinus } Preibisii, scholae collegae, hinc senatores.
54. David }

David n. Boleslaviae 1554. Θ. 1627. 6. Cal. Sept.
Vos Schola vosque pares agnovit Curia, semper
Aequalis studuit filius esse patri.

mum ascendit, in quinto, quarto et tertio Andream Franckium, Laurentium Andreadem, Georgium Scholtzium, et Fridericum Kurzium, in secundo Stephanum Hoferum et Abrahamum Corberum, in primo Davidem Rheinischium et Johannem ab Hoeckelshoven habuit
1) praeceptores. Feliciora certe scholae Magdalenaeae tempora illo quidem seculo Valentinus vix potuit invenire; tantam enim, ut discipulos undique ex Silesia aliisque
2) regionibus confluentes primae classis non caperet auditorium, Davides ille, qui theologiam tradebat et cosmographiam, et Johannes corpore exiguus, ingenio magnus, qui ludi erat moderator, tam doctrinae, quam docendi facultatis laudem erant consecuti. Quibus viris ut operam dare securus posset Valentinus, maxime Francisci Langeri, I. U. C. Doctoris, Scabini et Notarii, effectum est liberalitate, cuius domus puero patebat. Vicesimo primo aetatis anno Francofurtum ad Viadrum migravit, ut academiae, quae ibi florebat, doctores audiret, exactoque studiorum et literarum per quadriennium curriculo M. Ca-
3) lebi Trygophori Decani opera ad summos philosophiae evectus est honores. Hoc de-
4) core ornatum sub idem fere tempus Glogovienses Davidi Cnoblochio scholae ad tem-
5) plum S. Nicolao sacrum Rectori, magna infirmitate affecto, adiutorem constituerunt, mox ipsum XXV annorum iuvenem ludi moderandi provinciam suscipere iusserunt. Non
6) ita multo post Preibisius ex quatuor decessoris filiabus Elisabetham natu maximam uxo-
7) rem duxit, haud indotatam illam quidem, sed virtute etiam locupletiorem, quae nullo
8) temporum insequentium terrore de statu posset deiici. Exceptis enim terrae motibus et procellis maritimis ex omnibus communium malorum generibus nullum paene dicam fuisse, quod Glogovia illa aetate non sit passa, eorumque alia Preibisium aequato cum

---

1) Cf. M. Hankii Vratislaviensis eruditionis propagatores p. 49.

2) Quare amplificatum est anno MDCV. a. d. XII. a. Cal. Julias.

3) Cuius ipsius manu scripta in albo quodam haec verba legi: Vindictae nobilissimum genus ignoscere. M. Caleb Trygophorus Academiae Marchicae Professor Logicus scrib. 5. Non. Decembr. Anno 1608.

4) Ehrhardtus in Presbyterologia (III, 1, p. 78. 71.) auctor est, qui in nominibus ecclesiasticorum et scholasticorum Glogoviensium formulae cuidam de coena sacra subscriptorum haec legit: 20. M. Val. Preibisius, Bol. Sch. Glg. Adj. 4. Febr. 1612.

5) Quippe qui hoc munere inde ab Idibus Octobris MDLXXVI functus esset. Se abdicavit anno MDCXIII, mortuus est post quinquennium (non post breve tempus, ut Ehrhardto videtur) vacationis MDCXVIII aut initio insequentis, nam in tabulis rationum ecclesiae Evangelicorum anni MDCXVIII haec leguntur:

Herrn Davidt Knoblochen Sein Bewilligtes Jahrgeldt oder Provision entricht als 100 Taler,
Herrn Magister Johann Fausto Rectorn Seine Jahres Besoldung Dreier Quartalien enttricht 60 Taler.

Anni autem MDCXIX tabulae Davidis Cnoblochii non amplius mentionem faciunt.

6) Reliquarum nomina erant Anna, quae Thomae Hoffmanno, Med. Doct. et Physico Novoforensi, Sabina, quae Johanni Sixio, mercatori Glogoviensi, Maria, quae Caspari cuidam Ottigio nupserat.

7) Post patris mortem quatuor eius filiae tabernam institoriam hereditate ab eo acceptam mille centum imperialibus vendiderunt, unde patrimonium haud exiguum fuisse colligas.

8) Qui tamen haud procul abfuerunt, sed anno MDCXV cum magnis iuncti tempestatibus in Vestphalia, Thuringa et Bohemia apparuerunt, et mense Februario tam Vindobonae quam Pragae multum damni fecerunt.

civibus pondere, alia etiam graviore presserunt, alia fere solus tulit. Si verum est, quod
nobis videtur, ut anno MDCXIII uxorem duxerit, *gravi peste* per domos saeviente, 1)
quum civium oculi frequentibus subito mortuorum funeribus terrerentur, nuptias suas fe-
cit. Insequenti anno lues paullatim abiit, ignis accessit *bisque* magnum casum praedixit 2)
levioribus, quae restingui possent, incendiis; sed ubi *tertium* redierat, nonnisi urbis 3)
ruina sedari potuit. Exarserat in domo polentaria Bartholomaei Nichei in vico Brostano,
quem hodie Borussicum vocant, Johannis Scolteti cuiusdam, qui illius a manu erat in
hordeo frigendo, incuria, et per universam urbem magnumque suburbium polonicum gras-
satus mille ducentas domos atque publica aedificia pleraque omnia devastavit, vel curiam
mirifica turri ornatam, denique intra moenia praeter arcem regiam, *duo templa* et lu- 4)
dum, in quo Preibisius docebat, nihil intactum reliquit, sed domum etiam, in qua
ille habitabat, delevit, ipsumque suosque in eadem certe loca cum doctoribus
nobilibus et cunctis civibus pepulit, quorum partim ante portas in sepulcreta, par
tim in silvam et colles arenae trans flumen fugerant, amissis bonis vitam servatam sibi
gratulantes; viginti enim homines effusa flamma absumserat, suburbio in insula Viadri
etiam potitura, nisi magna Georgii *Rudolphi Zedlizii*, *ducatus Praefecti*, dili- 5)
gentia pontem ab ea defendisset. Urbe igitur, quae mercatura et artibus opulentissima
fuisset, paene solo aequata, communi vitae operumque disciplina in longum tempus disso-
luta, omniumque et animis et manibus ad damna reparanda intentis, quem ludum, quam
iuventutem, quae subsidia eius instituendae educandaeque Preibisium habuisse putes?
Quid, quod ne literarum quidem consolatione mentem a magna satis potuit avocare cala-
mitate, quum incendium non solum ipsius museum, sed etiam Johannis Knotii, Glogovien-
sium tum Sosii, tabernam cum magna librorum copia, et Johannis Funccii typographi of-
ficinam et quinque bibliothecas publicas, codicibus manu scriptis, veteribus membranis,
aliisque literarum monumentis refertissimas devorasset. At ille in ruinis urbis deflagratae
insidens cum civibus lugere, quam alibi quaesito munere laetari maluit, quanquam pere-
grinas terras periclitanti eruditionis fama non defutura fuisset; quare *laudatori* eius 6)
vera cum gloria de eo praedicare licuisse nemo dubitet, munere scholastico ita functum
esse, ut *singularem laudem* et fidei et industriae ex ea provincia consequeretur. 7)

---

1) Quae pridie Cal. Junias MDCXIII grassari coepit, neque prius desiit, quam circiter diem septimum ante Cal. Aug. MDCXIV.

2) Primum ineunte mense Junio MDCXIII in vico lato, deinde a. d. XVII. a. Cal. Oct. in domo quadam polentaria.

3) Quinto ante Cal. Aug. MDCXV.

4) Evangelicorum S. Nicolao et Catholicorum S. Petro et Paulo sacrum, quod nuper Dominicanorum fuit, nunc armamentarium est.

5) Dimissis, qui secundam a porta Viadrina domum ardentem restinguerent.

6) Buchnero, Professori Vitebergensi, de quo infra dicetur.

7) Postremo muneris anno (1617) salarium CXL imperialium accepit. Successori eius primo anno (1618) LXX, secundo, (1619 Davide Cnoblochio mortuo) XC, denique (1627) non multo plus quam CXII imperialium dati sunt.

Quinquennio postquam Glogoviae sedem posuerat, e ludo in ecclesiam transiit, anno-
nae caritatis, belli civilis, seditionis, rapinarum caediumque per patriam grassantium, de-
nique assiduae sacrorum caussa vexationis, carceris atque exilii pericula et damna perpes-
1) surus. Valentino enim Feuereisenio, diacono ad templum S. Nicolai, mortuo Glogo-
2) viensium Augustanae confessioni addictorum concio Preibisium suffecit, Preibisio Jo-
hannem Faustium. Rebus autem sacris et animorum curae praeesse cum nulla aetate et
nullo loco non difficillimum fuerit, illa sane Glogoviae humanas exsuperabat vires, Ca-
tholicorum et Evangelicorum factionibus per universam Bohemiam, Moraviam Silesiamque
et secreto et palam sibi adversantibus. Horum quidem primoribus nobilibusque et regiis
civitatibus edicto liberum sacrorum usum Rudolphus imperator dederat, Matthias confir-
maverat; at universis acatholicis idem concedi, maiore in dies audacia multi Bohemiae
proceres Thurno Comite duce iubebant. Eadem ratione Glogoviae, qui XXXVI annis
ante templo ad S. Nicolaum potiti erant, in eoque rem divinam faciebant, Evangelici,
ut eiusdem sacello et bibliotheca uti sibi liceret, ut bini consules, quorum alter
suorum de grege esset, alternis vicibus rempublicam regerent, ut senatores creare
civibus liberum esset, haec in dies acrius flagitabant. Numero partim suo catho-
licis decuplo maiore freti, partim seculi feritate et agresti lascivia ducti, consilia
sua inconsiderate prae se ferebant, et illis diffidentiam, Matthiae imperatori seditionis
suspicionem movebant. Mala denique Thurnii auctoritate quatuor legatis regiis ex arce
Pragensi deiectis, cum Bohemi diadema Ferdinando ademptum Friderico, principi Palati-
no, imposuissent, in hac quoque urbe Evangelicorum diutius non potuit contineri proter-
vitas. Alii huius reguli electionem palam probare, alii Catholicorum ianuis mala in
3) Ferdinandum inscribere carmina; universi tandem et sacellum, quod dudum petie-
4) rant, et fanum S. Johannis in sepulcreto, et bibliothecam ad portulam Johanneam
5) occupaverunt, principum ordinumque Silesiae venia impetrata senatum sui corporis
constituerunt, et quod Bethlen Gabor ab Hungaris rex creatus esset, et cum Friderico
6) foedus fecisset, supplicationem in templo suo decreverunt. Tantae ferociae populum
oratione frenare, commotis pacem suadere animis cum civibus infestis, defectionem dissua-
dere a rege saevo et suspicioso, et suarum tamen partium iura defendere et doctrinam
magistratibus odiosam libere profiteri, hoc nempe magnae molis erat. Minitabantur vide-

---

1) Exeunte anno MDCXVII, ni fallor; nam rationum ecclesiae tabulae huius anni salarium totum Valentino Feuereisen datum esse affirmant. Eodem anno Preibisius Lipsiae a D. Vincentio Schmuck, ecclesiarum Ephoro, inauguratus atque in clericorum ordinem receptus est.

2) Promisso CVI imperialium salario et lignario.

3) Ut hoc: Friederich ist unser König, Ferdinand hat ein Auge zu wenig

4) Quae olim pone templum S. Nicolao sacrum fuit. Per eam in suburbium exeuntibus fanum illud S. Johannis cum sepulcreto in conspectu erat.

5) Quarto ante Non. Oct. MDCXIX.

6) Postridie Cal. Febr. MDCXX, ut videtur. Christophoro Quarto, Pastori, propter orationem sacram hoc festo habitam duos florenos aureos (Ducaten) senatus dono dedit.

licet Preibisio eaedem, quae Christophoro Quarto collegae calumniae, quem ex ipsis sacris
rostris populum ad seditionem concitasse, Pragae rumor fuerat; quarto enim anno post- 1)
quam ille diaconus factus erat, plus trecenti Catholicorum viri mulieresque ad iura eccle-
siae suae tuenda, auctoritatemque principi suo divinitus instituto reparandam in concionem
convocati coniuraverunt, quibus pugna Pragensis animum addidit Ferdinando prospera,
Friderico exitiosa. Nihilo tamen minus Preibisius, Paulo Gryphio Archidiacono et Chri- 2)
stophoro Quarto Pastore intra paucos dies demortuis, orbatae suorum ecclesiae deesse no-
luit, susceptoque Pastoris munere malis undique ingruentibus obviam ire ausus 3)
est. Aliquantum quidem temporis, quasi ad vires in gravem pugnam colligendas, ani- 4)
moso viro datum est, cum rerum Bohemicarum Caesar satageret, cum Thurnus minor, cum
Johannes Georgius Marchio Branniborensium, cum Ernestus Mansfeldiae Comes et Bethlen
Gabor eum multifariam urgerent, cum Saxonum dux Evangelicis in Silesia patrocinaretur.
At dum haec aguntur, minores tamen Preibisium calamitates exercent. Triumviris a 5)
Caesare missis, qui senatum nuper abrogatum restitui iuberent, Evangelicorum concio
intercedit, ferox plebecula facinorosorum quorundam civium instinctu illudit, simul Domi-
nicanorum monasterium diripit, sacerdotum inde altariumque ornamenta aufert. Senatus,
ad seditiosam sedandam civitatem paratissimi, rogatu triumviri discedunt, post mensem
autem redeuntes, antequam urbem ingrediantur, moremne cives regi gerere velint, in- 6)
terrogari curant. Militum metu, qui circum vicos suburbanos collocati et contumaces coer-
cere iussi erant, triumviris illi obsequium promittunt, senatus tutelam; idem et seditionis
auctores et pannifices quosdam punit, qui soli civium parere noluerant; quo facto trium-
viri urbem intrant, senatum ex Evangelicis conscriptum removent, rempublicam 7)
superiori reddunt, in quo catholicorum numerus praevaleret. — Seditionem et annonae
caritas excipiebat tanta, ut senatus civibus indigentibus panem largiretur, et mala monetae
Caesaris iussu adulteratae copia, quae fluminis instar civitatem inundabat, et militum Cae-
sarianorum insolentia, qui per caussam urbis defendendae plus semel eam occupabant, et

---

1) Pridie Nonas Maias MDCXX.

2) P. Gryphio, Andreae Gryphii patre, Nonis Januariis, C. Quarto IV. ante Id. Jan. MDCXXI. Utrumque diem Ehrhardtus perperam dedit. Illum veneno subito absumtum esse filius Andreas, poeta celeberrimus, Glogoviae decus, in carmine quodam refert. Cf. Bredow's nachgelassene Schriften, herausgegeben von Kunisch, pag. 71.

3) Sub eum diem primi trimestris, qui Cinerum dicitur.

4) Id est per annos MDCXX — MDCXXVII.

5) Quorum erant nomina: Liber Baro a Sprintzenstein, Eques a Dyherrn, et Davides Wachsmann, Lusatiae Cancellarius. Glogoviam venerunt die 21. Sept. 1621.

6) d. 21. Oct. 1621.

7) Comitiis scilicet novissimis, quae postridie Calendas Martias anni MDCXXI habitae erant, postquam Preibisius cives ad senatum cooptandum delectos oratione hortatus erat, cuius mercedem septem imperiales acceperat.

1)2) Cosacorum terror ab imperatore in Poloniam dimissorum, quorum centum per quatriduum circum urbem vagabantur et incolis quibusdam flagitiosis aucti omne genus lasciviae exercebant; quae omnia Preibisium quoque attigerunt et rei familiari detrimentum, animo sollicitudinem attulerunt. Praeterea, quo nihil magis eum exulcerasse putes, Evangelicorum gregi periculum appropinquabat, ne adversariorum vel arte vel minis deminue-
3) retur. Oppersdorfius enim Comes, quem Caesar Zedlizio mortuo ducatui Glogoviensi
4)5) praefecerat, primos in urbem Jesuitas adduxerat Christophorum quendam Boleslaviensem
6) viensem et Fridericum, qui orationibus in templo habendis parvulisque ibidem doctrina sacra instituendis civium sibi conciliare studebant animos. Habitabant illi primum in arce regia, tum in urbe; mox locum domus ipsis aedificandae ut
7)8) assignari iuberet, a Caesare impetraverunt, et quarto postquam Glogoviam migraverant anno, ludum publicum iuventuti aperuerunt, in quo Catholicorum formulam et linguam latinam nulla mercede traderent. Preibisius, ne suorum animi irretiren-
9) tur, illos et libris evulgandis et orationibus pro concione habendis redarguere studebat, verum id frustra faciebat. Catholicorum populi rogatu Ferdinandus anno
10) MDCXXVIII templum ad S. Nicolaum iis reddi et sacrorum Evangelicorum antistites urbe iussit exterminari. Oppersdorfius Comes ad rem patrandam a Caesare constitutus, ante diem V. Id. Sept. et civibus Evangelicis mandata regis exposuit, et quatuorviros ad Preibisium delegavit, qui et rostra sacra et reliqua rerum divinarum munia ei interdicerent; quos interpretes turba Evangelicorum circa templum et parochi aedem stipata quanto fremitu exceperit et quanto ludibrio habuerit, in eo libello narravimus, qui de vita
11) Subgii inscriptus est. Preibisius ut ferocem plebeculam ante domum suam congre-

---

1) Cuius rex, Sigismundus III, eos Caesari Radzivilio quodam duce auxilio miserat in bellum Bohemicum. Ex Bohemia per Schmiedebergam in Silesiam irrumpentes negata post missionem stipendia pagis expilandis sibi ipsi parabant. Cf. librum nostrum, qui inscriptus est: Geschichte des berühmten Schönaichischen Gymnasiums zu Beuthen an der Oder. Gross-Glogau 1818. S. 105. et C. Aug. Mülleri: Das Söldnerwesen in den ersten Zeiten des dreissigjährigen Krieges aus handschriftlichen Quellen des Königlich Sächsischen Haupt-Staats-Archivs. Dresden gedr. b. E. Blochmann. 1838. pag. 46. p. m.

2) Inde ab octavo usque ad quintum ante Idus Decembres MDCXXII; quarto Schlavam abducti sunt. Civitati illud quatriduum VI millibus imperialium stetit, quae in istos praedones insumta sunt.

3) Anno MDCXIX.

4) D. XXI. Mart. MDCXXIII. hoc munus ei publice delatum est Glogoviae per legatum Caesaris, Comitem a Schafgotsch.

5) Eodem, quo ipse Glogoviam intraverat, die.

6) Et primum quidem d. 8. Maii 1623.

7) D. 24. Jun. 1626.

8) D. 3. Nov. 1627.

9) Quorum unum sic inscriptum: Wo stehets geschrieben? Und darauf biblische Antwort. Wittemberg. 1626. 12° Ehrhardtus non vidisse videtur, sed titulum legisse in Becmanni Memorandis Francofurtanis, quae catalogum librorum universitatis Francofurtanae continent, pag. 369.

10) D. 26. April. 1628.

11) Et Glogoviae (1829) in lucem prodiit, pag. 7 & 8.

gari et custodiam agere vetuerat, ita eiusdem ad obedientiam cohortandae, malique a ca-
tholicis prohibendi caussa illo ipso die postremum in hac urbe pro suggestu sacro dixit;
praeterea summa videlicet in tanto tumultu sollicitudine et cura vexatus dicto paruit, me-
tuque mutuo dum omnia in urbe suspensa erant, munere suo abstinuit per quinquaginta
dies. Primo tandem mane post noctem tertiam ante calendas Novembres ubi somno ex-
pergiscitur, templi ad S. Nicolaum pomoerium L obsessum videt militibus, qui ipsum et
diaconos prodire vetant et templum occupant. Inducta nocturnis tenebris in urbem legio
Lichtensteiniana ter mille militum per forum et vicos in armis excubat, necquisquam ci-
vium pedem domo efferre audet. Omnia formidine silent; civium pectora instantis calami-
tatis premit exspectatio. Hora tandem quarta pomeridiana Preibisius cum diaconis in car-
cerem ducitur, et quadraginta in domum eius milites immittuntur eius sumptu alendi, qui
uxorem septem liberorum cura occupatissimam misere torquent. Postridie Calendas No-
vembres ipsum poena proposita, nisi, quae sciret, omnia fateretur, quinqueviri a prae- 1)
fecto ablegati interrogant, quo suadente aut iubente nuper concionatus esset, quamvis
praefectus vetuisset, a quo comitatus in suggestum escendisset, quem in locum et templi
gazam et suas opes abdidisset. Preibisius de eo, quod concionatus esset et consilium
suum populi a pravis conatibus avocandi malique a civibus avertendi et veniam ab ipso
praefecti vicario per alium petitam acceptamque, si modo nihil aliud moliretur, excusat;
infectum ut fieri posset, se optare, et, si peccasset, quinqueviros rogare, ut sibi ignoscerent,
qui illo die in summa et animorum et rerum perturbatione, quid faciendum, quid omitten-
dum, parum intellexisset. Comitem ad suggestum sibi neminem fuisse, custodes rerum
suarum se disertis verbis repudiasse, templi gaza ubi lateret, se nescire, quippe cuius
non fuisset eam curare, ex suis autem opibus aliquantum argenti[2]) fratris uxori[3]) 2)3)
servandum dedisse, quae postridie, quam legati Comitis apud se fuissent, Boleslavia 4)
advenisset et per triduum mansisset. Haec omnia Preibisius illo die supplex dixit; in- 5)
sequentibus autem, numquid per epistolas nunciosve cum peregrinis principibus, Caesari
videlicet infestis, habuisset commercii, interrogatus, huius quoque criminis convinci non
potuit. Tum missos ad eum esse ferunt, qui et gladio, et Christi in crucem acti si- 6)

---

1) Martinus Jander, Senator, Bartholomaeus Ulricus, Notarius, Adamus Hahn, Praetor aulicus, Andreas Galleke et Michael Rolle, Scabini. De Michaele Rolle cf. Beiträge zur Geschichte Glogaus, geliefert von dem Vereine für dieselbe. Erstes Heft. Glogau 1829. p. 97.

2) Quippe uxoris zonam, duodecim cochlearia, duos cantharos.

3) Verius fortasse: „uxoris sorori" dicam; verbum enim germanicum auctoris mei hanc quoque significat. Tum illam uxoris sororem intelligas, quae Ortigio cuidam nupserat.

4) Cf. Beiträge zur Gesch. Glogaus I. Heft pag. 75, ubi nomina eorum perscripta sunt.

5) D. 2. Nov. 1628.

6) Hoc vocabulo in hac re narranda utar, donec praeter Casparem Titschardum in Locis Communibus Schlesischer Gravaminum pag. 181. 194. 200, quem adhuc unicum eius auctorem habemus, alter quidam testis mihi innotuerit. In tabulariis et Senatus et Evangelicorum ecclesiae Glogoviensis ad hunc diem usque, quod eius rei mentionem faciat, nihil inventum est, quo tamen silentio ad fidem Titschardo imminuendam et rem tacendam adduci non potui per se verisimillimam.

gillo proposito optionem ei dedissent, ut aut supplicium aut sacra Romana eligeret, quo
1) audito uxorem animosam, alteram quasi Arriam, ne mori detrectaret, monendum curasse. Tertio tandem ante Idus Novembres Preibisii uxor et liberi mane domo cedere, sub vesperam ex urbe fugere coacti, ipse postridie, ducentis florenis pignori oppositis, ex carcere dimissus urbem ipsi funestissimam exsul reliquit, nunquam postea in eam rediturus.

Profugus primum Fribergam Hermundurorum concessit, ibique annum commoratus, tum a Johanne Georgio Arnimio, summo Saxonum exercitus duce, delectus est, qui tam apud ipsum domi militiaeque, quam in castris sacrorum antistitis fungeretur munere. Cum hoc Gustavi Adolphi, Suecorum regis et Johannis Georgii, Saxonum principis coniuncta cas-
2) tra secutus Lipsiensem pugnam eminus, turpem Saxonum fugam cominus vidit, eademque non solum abreptus, sed vitae quoque in discrimen detrusus est, Chrobatis ab hoste missis, qui fugientium castra expilarent; ad incitas redactum Suecorum victoria servavit. Re bene gesta principes illi Halae consilia de bello continuando conferunt; Suecus Germaniam cisrhenanam, Saxo Bohemiam provinciam sortitur. In hanc quoque Arnimius Preibisium sibi comitem incruentae, Caesarianis undique recedentibus, incursionis esse
3) voluit. Exercitus per Siluccenam, Tetiscam, Aussicam ducitur, Litomericii per aliquot dies stativa ponit. Ibi Preibisius in Evangelicorum concione post undecim annorum in illa regione intermissionem primam habuit orationem, multosque per rura infantes sacro fonte tinxit. Non ita multo post cum Arnimio Pragam intravit, et Johannis Georgii, Saxonum principis, iussu eodemque praesente in templo ponti proximo, cui nomen S. Salvator est, in magna hominum frequentia et concionatus est et sacram coenam celebravit, hic illic
4) etiam infantes sacris christianis initiavit. Brandusii quoque, multisque aliis in locis, in quibus Evangelici templis denuo potiti erant, publice dixit non sine magno valetudinis vitaeque periculo. Reiectis enim trans Albim, quae ad Bohemiam recuperandam accesserant, Caesarianis copiis, Chrobatorum tamen cohortes expeditas Arnimius impedire non potuerat, quo minus agros inter Nimburgum et Pragam palantes infestarent, hisque ut Preibisium caperent, paene contigit; incolumem tamen deus Pragam reduxit. Jam requiem curarum et diuturni laboris petenti spes affulsit. Georgius Guilielmus Branniborensium princeps primarii sacrorum Berolini in templo ad S. Nicolaum antistitis munus ei per
5) nuncios obtulit. Relicta igitur Praga Preibisius cum Arnimio Dresdam reversus est,
6) tum Vitebergam petiit, quae uxori liberisque asylum fuerat, sarcinas ibi collectas Berolinum praemisit, et secundo, qui Christo nato festus erat, die eodem ipse abiit. Pri-
7) die Calendas Januarias gravi tentatus valetudine, tamen ipsis Calendis in templo

---

1) Cf. Plinii Epp. III, 16.
2) D. 7. Sept. 1631.
3) Germanice: Schluckenau, Tetschen, Aussig.
4) Brandeis.
5) Epistola principis mense Septembri 1631 scripta est.
6) D. 23. Dec. 1631.
7) MDCXXXII.

concionatus, principi probatus, munere gravissimo donatus est. Etiam aegrotanti, quo die ipse in morbum incidisset, eodem uxorem subita morte absumtam esse, nunciatum est. Deinde Vitebergam redire ausus est, exequias fidissimae coniugis, ut ipsi videbatur, prosecuturus, ut deo, ipse prosequendus. Ingravescente malo medicis insanabili, sexto decimo ante Calendas Februarias MDCXXXII ad beatorum oras evocatus est certo speratas, saepe desideratas. Vitebergenses funus ei fecerunt honestissimum. Academia quinto die post libello in vulgus edito vitam viri breviter enarravit; laudationem in eius senatu 1)2)

1) Hoc titulo: Programma Academiae Vitebergensis in obitum b. M. Val. Preibisii. Viteb. d. 22. Jan. 1632.

2) Hanc laudationem, quam Heubneri, S. S. Th. D. et P. O., Seminarii Vitebergensis Directoris humanitas mecum communicavit, hoc loco totam exscribere operae pretium esse videtur.

Rector Magnifice, perquam Reverendi, Amplissimi, Clarissimi ac Prudentissimi Viri etc.

Triste sane ac illaetabile, sed iustum tamen atque solenne, pro summa illa ac incredibili vestra benevolentia in optimos quosque ac studio officium M. Valentino Preibisio, Reverendo ac Praestantissimo Viro, persolvistis. Ecquid enim magis par erat fieri, quam ut optimo et de ecclesia Christi, non modo doctrina ac voce, sed et exemplo constanti, egregie merito, exsequialis iste honor quam cumulatissime exhiberetur? Quamvis facile concedam, id, sine doloris morsu, et quadam animi tristitia fieri vix potuisse. Cum ob alias caussas, quas commemorare hoc loco necesse non est; tum maxime, quod vos misericordia haud vulgaris liberorum tangeret, quos septem ipsos parvos plerosque, et nondum confirmatae aetatis, post se reliquit. Qui cum erepta non ita pridem matre amantissima, nunc autem et patre optimo, in quo praecipue omnes recte adolescendi spes posuerunt hactenus et collocarunt, ademto, omni praesidio et ipsa propemodum spe destituti sint, quid agent, quaeso, eiecti patria, a consanguineis suis exsules, in cuius sinum confugient, unde et opem et auxilium suae imbecillitati exspectabunt? Quae quidem dum cogito mecum et nunc recenseo, tanta profecto me miseratio capit, ut haeream quodammodo, ac in dicendo progredi vix possim. Sed quantum moeroris ac sollicitudinis hoc vestrum vobis iniecit officium; tantum et spei optimae et praesentissimae consolationis id orphanis miseris affert. Quemadmodum enim nautae depreusi turbulenta tempestate bene audent sperare, si detergeri coelum paullisper, et aliqua iterum lux apparere procul incipiat, ut videre scilicet et animadvertere possint, quo connitendum ipsis et dirigendus cursus sit, quae declinare ac evitare conveniant; ita et illi quoque ex ista benevolentia vestra, quae in mediis quasi tenebris ipsis affulget, colligunt ac deprehendunt, ecquos adire potissimum, quibus necessitates suas credere, quorum praecipue opem ac patrocinium deinceps implorare debeant. Quapropter eo nomine vobis singulares ac summas agunt gratias. Agunt, inquam! Nam habere ac referre qui possint, et constituti in hoc aetatis, et tali sua fortuna? Et agunt ita, ut has non modo, sed plures alias deinceps debere optent pro beneficiis plurimis, quae et ipsi exspectant a vobis, et illa insignis bonitas vestra polliceri videtur. Quocirca agite, Viri optimi atque clarissimi, et non tam gratiam ab orphanis miseris accipite, quam ipsos in fidem ac patrocinium vestrum suscipite; idque elaborate quaeso, ut suo Preibisio deinceps patre desideratissimo, cui supremum honorem nunc persolvistis, minore dolore, ac aegritudine animi carere possint. Cogitate humanos casus et illas lubricas nimis atque incertas vices, quibus perpetuo obnoxii vivimus? perpendite, quod poeta ille in scena quidem, caeterum tanquam oraculum dixit ac edidit: Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. — Ne itaque duriori conditione sint Preibisii liberi, quam vestris olim, si idem fati genus, quod tamen avertat deus, opprimat forte, optetis contingere, diligentem quaeso navate operam, et summo studio contendite. Nihil profecto dignius homine est, quam adesse hominibus et intercessisse miseriae et emendasse fortunam et novum calamitosis fatum dedisse. Et est in coelo Deus, qui videt non modo ac intuetur, quae quisque benigne fecerit aliis, sed dignis quoque praemiis repensare solet.

Leguntur haec in libro: Augusti Buchneri Orationes Academicae. Continentes Panegyricas, Festas et literarias ed. Stübel, Fcft. et Lips. 1727. 8. et quidem in Orationibus Funebr. No. XII. p. 320-322.

1) Augustus Buchnerus Professor habuit, orationem in templo Paulus Röberus Doctor. Filii quinque, filiae duae, plerique impuberes, patrem deflebant, quos Buchnerus doctoribus in clientelam commendavit.

Vita viri memorabilis, mors fere memorabilior. Divino spiritu instinctus scholasticum munus cum sacerdotio, tanquam portum cum mari procelloso, mutavit. Ecclesiae gubernaculum adversis fluctibus ea tenuit cautione et constantia, ut maligni obtrectatorum oculi praeter suam ipsorum suspicionem, quod in crimine ponerent, nihil prorsus invenirent. Gravissimis cum malis per septem annos ita conflictatus est, ut vires non caderent potius, sed crescerent; quod aliis animi infirmitatem, huic robur addidit, matrimonium. Facundiae eius Silesia se clausit, aperuit Bohemia; Glogovia exsul, Pragae triumphavit; Evangelicorum caussam inter populares sepultam, inter peregrinos vitae vidit redditam. Imperfectum otium speranti deus perfectum dedit, animumque ex diuturna miseria enatantem redeuntibus eius fluctibus praeripuit, praemissa, quam paratior sequeretur, coniuge. Quae viventem olim cum Christo mori voluerat, eadem morientem cum Christo vivere praecedendo iussit.

2) Librorum, quos Preibisius in vulgus edidit, tres nominantur. Primum eorum supra
3) commemoravimus; reliqui orationes erant in funeribus Eliae Capleri, et Valentini
4)5) Herbergeri[4]) habitae. Quartum quendam latinum de nuptiis, siquidem huius[5]) Preibisii nomine inscriptus fuit, in bibliotheca universitatis Vratislaviensis reconditum esse

---

1) Quam ipse P. Röberus in Arcu suo triumphali Tom. II. pag. 679 typis exscribendam curavit.

2) Cf. pag. 7. not. 7.

3) Ecce titulum, qualem Ehrhardtus exhibet: Provida Jehovae cura, d. i. christliche Leich Predigt von der trewen Vorsorge Gottes, die er träget für alle Gläubigen, über Ps. 102, 20 — 22 bey Bestattung des weyl. Ehrw. etc. Eliae Capleri, Boleslaviensis, wohlverdienten Pfarrherrns der christlichen Gemeine zu Grambschütz, welcher A. 1622 d. 30. Nov. — verstorben —, gehalten durch M. Valent. Preibisium, der Augsp. Gemeine in Grossen-Glogaw verordneten Pastorem. Zu Gr. Glogau druckts Joach. Funck, 1623. 4. (8 Bogen.)

4) Inscripta: Gaudium Herbergerianum oder Selige Herzensfreude des Wohl-Ehrwürdigen Gross-Achtbaren und Hochgelarten Herren Valerii Herbergeri, vornehmen und weitberühmten Theologi beym Kriplein Christi zur Frauen Stadt in der Kron Polen wohlverdienten Predigers und Seelen-Hirtens. Welcher den 18. May zu Mitternacht umb 12 Uhr dieses 1627 Jahres sanft und stille in seinem Herrn Jesu verschieden, und darauf den 26. Maij in grosser Volckreicher Versammlung daselbst Christlich zu seinem Ruh-Bettlein gebracht worden, Aus den Worten Christi Luc. 10, v. 10. Freuet euch, dass eure Namen im Himmel geschrieben sind. In gehaltener Leich Sermon erklaeret durch M. Valentinum Preibisium, der Evangelischen Kirchen und Schulen in Grossen Glogau Pastorem und Inspectorem. Im Jahre 1672.

Adiecta est Vita Herbergeri, quam Preibisius in funere recitavit. — Continetur haec oratio in libro: Valerii Herbergeri Geistliche Trauerbinden Tom. VII. Leipzig 1669.

5) Potuit enim ab altero quodam Preibisio, I. U. D. et Professore Lipsiensi, scribi, qui Sprottaviae postridie Cal. Febr. MDLXXX natus, Lipsiae Cal. Martiis MDCLI mortuus est. Hic a patre Georgio, Senatore et Nosocomii curatore et matre Dorothea Seligera cognomen acceperat Christophorum, Vratislaviae, et Olmucii et Lipsiae (1599) literis operam dederat, et Comitis Palatini a Ferdinando II. Caesare ornatus erat dignitate.

audivi, accipere non potui. At satis erat, quod mihi contigit, unum fidei, pietatis et eloquentiae in praeclarissimo viro monumentum vidisse, Gaudium illud Herbergerianum, quam orationem Herbergerus, theologorum in Polonia illa quidem aetate longe doctissimus, quoties Glogoviam venerat, toties familiarissimum, ut habere dignaretur, rogando, digniorem ad eam provinciam se reperire non potuisse declaraverat. Idem Preibisio iniunxerat, ne quid aliud de se praedicaret, quam quod Jesum Dominum suum et sincere dilexisset, et auditoribus fideliter laudasset et sospitatorem suum habuisset, cuius solius fiducia vitae mortisque acerbitatem esset consolata. Utriusque viri memoriam pia mente recolentibus gravissimum illud vatis divini dictum occurrat: Justus autem occidit, necquisquam eo 1) commovetur; mors sanctos aufert viros, necquisquam id curat. Justi enim calamitatibus praeripiuntur, et qui recte vixerunt, in otium deducuntur et requiescunt in sepulcris.

---

1) Jesaiae 57, 1. 2.

Fortsetzung der Nachrichten
von dem
hiesigen evangelischen Gymnasium
in dem Schul-Jahre von Michaelis 1838 bis dahin 1839,
verfasst von dem Director Klopsch.

Erster Abschnitt.
Lehrverfassung des Gymnasiums.

In Folge der hohen Ministerial-Verfügung vom 24. October 1837 wurde die Zahl der Lehrstunden in Secunda für die Geschichte auf 2 herabgesetzt, und für den lateinischen Dichter auf 3 erhöht, in Tertia für den lateinischen Prosaiker um eine vermehrt, für die deutsche Sprache um eine vermindert, für Geschichte und Geographie, die von nun an halbjährlich mit einander wechseln sollen, auf 2 bestimmt, in Sexta durch 2 für Naturgeschichte vergrössert, und in Prima die Stunde für lateinische und griechische Metrik aufgehoben. Durch diese Massregeln wurde zugleich der Vorschrift genügt, dass in keiner Classe mehr als 32 Stunden für die Lehrgegenstände gegeben werden sollen, an welchen alle Schüler Antheil zu nehmen verpflichtet sind. Eben dadurch ward aber auch eine Veränderung in den Cursen für die Geschichte in Secunda, und für Geschichte und Geographie in Tertia nöthig; der erstere ward auf anderthalb Jahre, die lezteren auf je 1 Jahr festgesetzt. — Alle übrigen Verhältnisse des Lehrplan's blieben, wie sie waren.

Uebersicht der im verflossenen Schuljahre gehaltenen Lehrstunden.
I. Sprach- und wissenschaftlicher Unterricht.
Prima.
Ordinarius: Director Dr. Klopsch.

a) Prima allein.

Latein. Cic. de. Off. I, 27 — II., 3 Stunden. Virg. Ecl. 4. 8. 7. 10. Georg. I. 3 St. Lateinischer Stil. 12 freie lateinische Aufsätze, 12 Exercitien von je 2 enggedruckten Octav-Seiten, und auch die im Winterhalbjahre während der Disputir-Uebungen geschriebenen wöchentlichen Extemporalien wurden corrigirt, und theilweise mündlich genauer beurtheilt und durchgegangen; 44 Mal disputirten je 2 Schüler mit einander und je 3 Schüler wöchentlich hielten aus dem Stegreif kurze lateinische Vorträge über leichte Aufgaben. Das wöchentliche Recitiren von Abschnitten aus den Gesprächen des Erasmus und des Corderius, desgleichen aus Cicero's Reden ward ebenfalls fortgesetzt, und mit den ersteren je 4 — 6, mit den andern je 2 — 3 Schüler wöchentlich beschäftigt. 2 St. Dir. Klopsch. *)

---

*) Der Name des Lehrers gilt hier für alle vor demselben ohne Benennung des Lehrers angeführten Lectionen.

Griechisch. Lycurgus contra Leocratem und Plat. Crito, nach einander. Soph. Philoctetes, Hom. Iliad. XVI. XVII., Theocr. Idyll. X. XIV. XVI., ebenfalls nach einander. 5 St. Die Schüler lieferten alle 14 Tage ein Exercitium aus Mehlhorns Aufgaben zum Uebersetzen ins Griechische (S. 77 — 88. 104 — 111) und einige Extemporalien, in welchen der Lehrer das Fehlerhafte zu Hause unterstrich und in der Schule durchging. 1 St. Oberlehrer Dr. Mehlhorn.

Hebräisch. Gelesen und erklärt wurden: Joel, Amos, 1 — 3, 9. Jos. 13, 23 — 24, 8; dabei 21 Extemporalien über aufgegebene Abschnitte der Syntax ins Hebräische übersetzt, und vom Lehrer zu Hause verbessert. 2 St. Oberlehrer M. Röller.

Deutsche Sprache. Zweijähriger Cursus. Geschichte der deutschen Literatur von 1740 — 1839, dann Rhetorik nach Püllenberg. Die Schüler lieferten 24 freie Arbeiten, die schriftlich corrigirt und theilweise auch mündlich durchgegangen wurden. 2 St.

Französisch. Aus C. A. Menzels Handbuch der französischen Sprache und Literatur wurden S. 369 — 419 gelesen, aus Klopsch Anleitung S. 145 — 177 in wöchentlichen Exercitien übersetzt, und diese in der Schule, die Extemporalien aber, welche wöchentlich über bestimmte vorher bezeichnete Regeln der Grammatik geschrieben wurden, zu Hause von dem Lehrer verbessert. 2 St. Prorector Severin.

Mathematik. Zweijähriger Cursus. Stereometrie nach Fischers Lehrbuche (Berlin 1831) in zweien der wöchentlichen Stunden. In der dritten wurde Anleitung zur Auflösung trigonometrischer und stereometrischer Aufgaben ertheilt. Von den wöchentlich eingelieferten Arbeiten wurde ein Exemplar corrigirt zurückgegeben, die andern aber darnach von den Schülern selbst verbessert. 3 St.

Physik. Zweijähriger Cursus. Die Optik von der Farbenlehre an bis zu Ende, dann die Lehre von der Wärme und von den Dämpfen. Die Schüler trugen hier, wie in der Mathematik, die Erklärungen des Lehrers in ihre Hefte ein, die vierteljährlich vom Lehrer durchgesehen wurden. 2 St.

Philosophische Propädeutik. Nach Hasslers Paragraphen für den Unterricht in der Philosophie, aus der Logik die Abschnitte von den Urtheilen und Schlüssen, aus der Psychologie von dem Gefühlsvermögen und dem Vorstellungsvermögen. 1 St. Ober-Lehrer Dr. Grebel.

